GIDUS in acutis morbis mortem præsentem notat; in mitiori longitudinem morbi, *4. aphor. 37.*

Sudores die CRITICO si non adpareant, mali sunt ominis, præsertim cum virium imbecillitate. Bonam spem *contrà* promittunt recuperandæ salutis, cùm sudores largi proveniunt, die criticô se movent, febrim enim exsolvunt, & hi sunt optimi juxta *Hippocr. in prænot.*

HÆMORRHAGIA larga & liberalis in ardentibus & malignis optima est & salutaris, præsertim die criticô quando stillat sanguis. Siniſtram præbet prognosin *1. quantitatis* ratione. *σάξιες αἱ ἐλάχισαι, κακαὶ, perexigua stillicidia mala,* & *μυκτὴρ ἀποσάζων, ὀλέθριον, subſtillum narium mortiferum, coar. prænot. t. 57.* Nihil enim paucum criticum, denotat naturam suppressam. 2. *Temporis* ratione. *Ἐν καύσῳ ῥύσις ἐκ μυκτήρων τεταρταίῳ, κακόν. Ardenter febricitanti sanguis è naribus fluens quartô die, malum, coar. præn. t. 130.* Hæc tamen nonnunquàm bona esse solet, cùm ipsam exceperit die judicatoriô hæmorrhagia largior, & salutaris.

ABSCESSUS periculum quoque grande notant. *Salutares* sunt, si procùl à corde erumpant, suppurent & materiam in pus conversam evacuent. *Lethales* verò sunt, quos *Hipp. coar. præn. t. 138.* allegat. *Ἐκ καύσου ἀποσήματα παρ' ἃς μὴ γενόμενα πυώδεα, ἧσσον σώζονται. Si cui ex febre ardente venit parotis, abscessus post aures, qui purulentus non fiat, haud facilè superstes evadit.*

CAPUT XXVIII.

Prognosis à qualitatibus mutatis.

QUALITATES MUTATÆ salutem vel mortem prædicunt; 1. VISIBILES, qualis COLOR in totô corpore. *Hippocrates 4. aphor. 62. ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτερος ἐπιγίνεται πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν. Quibus in febribus ictterus ante septimum diem accidit, malum.* Eadem repetit *librô coar. præn. t. 121.* & addit: ἑβδόμῃ